

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Lectionarium - Cod. Aug. perg. 37**

**[S.l.], [3. Drittel des 10. Jh.]**

Lesung aus dem Evangelium nach Matheus

[urn:nbn:de:bsz:31-6715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-6715)

**I**LE C. S. EV. SEC. MATH.

**I**N illo tempore. **D**ixit ih̄c discipulis suis. Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro. quem qui inuenit homo abscondit. & pre gaudio illius uadit & uendit uniuersa quae habet. et emit agrum illum. et reliqua.

**S**OME BEATI GRECORII P. DE CAELIS

**S**caelorum regnum fratres carissimi. idcirco terrenis rebus simile dicitur. ut ex his quae animus nouit. surgat ad in cognita quae non nouit. quatenus exemplo uisibilium se ad inuisibilia rapiat. et per ea quae usu didicit. quasi confricatus in caleseat. ut per hoc quod scit notum diligere. discat & in cognita amare. Ecce enim caelorum regnum thesauro in agro abscondito comparatur. quem qui inuenit homo abscondit. & pre gaudio illius uadit et uendit uniuersa quae habet. & emit agrum

illum. Qua in re hoc quoque notandum est. quod inuentus thesaurus absconditur ut seruetur. quia studium caelestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit. qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In presenti et enim uita. quasi in uia sumus. qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum. quasi quidam latroneuli obsident.

**D**e predari ergo desiderat. qui thesaurum publice portat in uia. Haec autem dico. non ut proximi opera nostra non uideant. cum scriptum sit. uideant opera ur̄a bona. & glorificent patrem ur̄m qui in caelis est. sed ut per hoc quod agimus. laudes exterius non queramus.

**S**ic autem sit opus in publico. quatenus intentio maneat in occulto. ut et de bono opere proximis prebeamus exemplum. et tamen per intentionem qua dō soli placere que